



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

De Primis Et Ultimis Temporibus, Seu De Principio Et Fine Mundi

**Ulloa, Joannes de
Augustæ Vindellicorum [u.a.], 1719**

Caput 5. De Gog, Magog, de lateronibus suis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81404](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81404)

Math. 26.

significet unitates physicæ, ac moraliter plurimum diversas 5. *Non bibam amodo de hoc genimine vitis* (ecce vinum physicum, & reale) *donec illud bibam* (ecce vinum spirituale, hoc est ambrosiam, nectar sive delicias cœlestes) *vobiscum novum in regno Patris mei*, tamen enim post resurrectionem interdum forsan biberit cum Apostolis physicum, & naturale vinum, ut in hoc etiam sensu verificetur illud Petri: *Qui manducavimus, & bibimus cum illo, postquam resurrexit à mortuis*; Ast cum illud obiter, ac solum ostendendi causa veritatem suæ resurrectionis in proprio suo corpore biberit, non bibisse dici potest: **Quemadmodum**

Act. 10. v. 14.

Luc. 24. 44.

ipse apud Lucam dicit. *Hæc sunt verba, quæ locutus sum vobis, cum adhuc essem vobiscum*, quasi tunc non esset cum illis; sed tunc erat obiter, & quasi per transfennam ut in hunc locum scribit Maldonado. Sufficiunt hæc quinque exempla ad ostendendum non esse in scriptura insolitum, quod eadem vox, in eodem textu significet absquæ vitio, quinimmo cum venustate, atque elegantia, res physicæ, ac moraliter distinctas: si plura volueris, ea invenies supra numero 1. & seqq. Ergo quod septem capita illius bestia significant septem reges, quos numeravi numero 49. non tollit, quod significant quoque aliquem ex illis septenariis quos paulo ante innuavi.

CAPUT V.

De Gog, Magog, atque de sociis.

Apo. 19. v. 2.

LXIII. **H**ætenus dicta de Antichristo, & Pseudopropheta vicario suo, quorum finis erit, quod corpore, & anima in infernum ruent: *Provi missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis sulphure modo sufficiunt*: de Antichristo addit Paulus. *Quem Dominus JESUS interficiet spiritu oris sui*, (forfan horrendo aliquo tronu, & fulmine, vel forsan sicut Petrus interfecit Ananiam, & saphiram hujus uxorem) *& destruet illustratione adventus sui in eum*, sicut sol priusquam physicæ sit in horizonte sola illustratione sui ad-

R. P. Ulloa de Principio & Fine Mundi.

ventus, hoc est, *sola aurora* destruit tenebras, & fugat aves nocturnas. Alia disputari solita de Antichristo tacita prætermitto, quippe quæ obvia sunt apud bonos, & graves auctores, præsertim apud Perer Malvenda, Bellarminum, & Suarez. Restat agere de Gog qui interpretatur *rectum*, atque de Magog, id est *detecto* atque de suis lateronibus, quorum omnium vitam, & necem describit Ezechiel duobus integris capitibus, & Joannes paucis, sed gravissimis verbis: Multa de his disputant Theologi inter explicandum capita hæc Ezechielis, & Joannis. Ego supra capite 1. n. 11. & iterum n. 31. jam dixi & tribus rationibus probavi (quartam addam n. 67.) Quod licet Antichristus sit Gog in sensu allegorico, & vice versa, ut dicebam Decade 4. attamen in sensu litterali hi duo erunt duo realiter diversa instrumenta primaria Diaboli, & quod Gog veniet post Antichristum, nempe *in novissimo annorum*, ut dicit Ezechiel, & rursus *in novissimis diebus*, cum Antichristus utpotè regnaturus in ultimo quadriennio mundi, ante hoc quadriennium sit venturus: Nequæ te moveat, fore, ut magis grassaretur Diabolus tempore Gog, quam tempore Antichristi, si hi duo futuri essent diversi, quandoquidem solius Gog tempore dicitur solvendus magnus Diabolus, & ascensus, ut seducat omnes gentes: Atqui magis sæviet, quando sit solutus, quam dum est ligatus, ergo si tempore Antichristi adhuc erit ligatus, & tempore Gog erit solutus, magis sæviet tempore hujus, quam tempore illius. Respondeo enim magis, & minus in diversis sensibus, sæviet tempore Gog *magis*, quia per se ipsum immediate, & non solum per alios Dæmones subordinatos sibi, pugnabit contra illas reliquias Ecclesiæ, quæ tunc superstites erunt post persecutionem Antichristi: sicut imperator exercitus totus in ultimo, & desperato conflictu solet per se ipsum dimicare, & non tantum per suos subalternos duces, & legatos. Illa enim innumerabilis collectio hominum seductorum ex toto orbe terrarum, ut ibi dicit Joannes,

Perer. Disp. Contr. Ant. Malvenda de Antich. Bellarm. lib. 3. de Roman. Pont. Suar. c. Reg. Angl.

Ezech. c. 38. 49. Apoc. 20.

Apo. 20.

nes, & tempore tam modico unito-
rum (oportet illum solvi modico tem-
pore) non nisi ope ipsius magni Dia-
boli, & industria, & arte, & subsidio
fieri potest, ut dicebam n. 40. sicut
enim Martius Rex post missum
suum primum ministrium belli, sci-
ens non esse occisas omnes copias
inimicas, solet ipse proficisci ad bel-
lum, ut tandem inimicos omnes ad
unum trucidet: Ità magnus Diabolus
cernens, quod post Antichristum à se
deceptum excitatum, & impulsum
contra Ecclesiam, adhuc hæc stat,
erumpet è carcere suo, Deo permit-
tente, quoniam oportet illum solvi mo-
dico tempore, ut per se ipsum seducens,
& in eundem locum transportans in-
numeros homines spatio paucorum
dierum, ut infra dicam, ultimo con-
fligat cum Ecclesia, id est cum cætu
illo fidelium, qui Antichristo super-
stites erunt, & convellat penitus Ec-
clesiam Christi antè diem iudicii; sed
porta inferi non prevalebunt adversus
eam. Instrumentum autem prima-
rium huius ultimi conflictus erunt
ille Gog, princeps quidam septen-
trionalis, ut mox dicam, cui bre-
vissimo tempore agglomerabit in-
numerabilem multitudinem hominum
ex quatuor partibus mundi, tanquam
summo eorum duci juxta Ezechie-
lem: *Et omnem multitudinem, que
coacervata est ad te, & esto eis in præ-
ceptum; non enim eget longo tem-
pore Diabolus; sed sola permissione
divina ad transportandum ex remo-
tis provinciis homines, & instru-
menta bellica, ut ex probatis histo-
riis constat, juxta quas tempore bre-
vissimo Diaboli inferiores portarunt
homines ex aliis in alias distantes re-
giones: Vide infra numero 69. sæviet
item minus tempore Gog: Immittet
namque huic solas cogitationes avari-
tæ, atque crudelitatis necessariæ ad
satisfaciendum avaritiæ: Ascendent
sermones super cor tuum & cogitabis co-
gitationem pessimam, & dices ascendam
ad terram absque muro. Et mox, ut
diripias spolia. & invadas prædam, ut
ipsum alloquitur Ezechiel: Antichri-
sto autem immittet cogitationes, &*

Ezech. 38.

Ezech. 38.

verba contra DEUM ipsum, sermo-
nes contra excelsum loquetur, & sanctos
altissimi conteret, & putabit, quod pos-
sit mutare tempora & leges. Item: Ape-
ruit os suum in blasphemias ad DEUM,
blasphemare nomen ejus, & tabernaculum
ejus, & eos, qui in celo habitant.
Propterea Pseudopropheta vicarius
suum fecit terram, & habitantes in ea
adorare bestiam primam scilicet Anti-
christum. Atqui minus sæviet Dia-
bolus, quando agitat homines sti-
mulis avaritiæ, & crudelitatis tan-
tum, quàm dum agitat illos stimu-
lis blasphemiarum, atque apostasiæ à re-
ligione, conversionisque ad idolo-
latrariam. Ergo quoad hanc partem
minus sæviet magnus Diabolus solu-
tus tempore Gog, quam ligatus ad-
huc tempore Antichristi; Nimirum
minus solet sævire per seipsum, imme-
diate, quam per suos primarios mi-
nistros humanos. Sæviet ergo tunc
minus minoritate tentationis, quæ
avaritiæ, & crudelitatis tantum erit;
sæviet autem magis majoritate physica,
quia conabitur delere omnino per
Gog reliquias Ecclesiæ. Vide nume-
ro 69.

LXIV. Igitur donec aliud melius
occurrat hoc verosimillimum mihi
videtur: Suppositis eis duobus capi-
tibus 38. & 39. Ezechielis, & capite
etiam 20. Apocalypsis, quæ hic tran-
scribere piger, & in quibus solis lo-
cis scripturæ prædicantur gerenda, &
patienda per Gog, & sine quorum
locorum attenta lætione agrè capi-
entur, quæ modo subjicio: His in-
quam suppositis. Dico, Licet Gog
futurus sit quidam individuus homo
sic vocatus, & qui juxta sui nominis
ethimologiam testis, occultus, &
quasi coopertus erit. Veruntamen
illi laterones, quos ipsi annumerat
scriptura, videlicet Gomor, Magog,
Thubal, Mesoc, & Thogorma, non vi-
denter personæ individuæ ac singula-
res habituræ nomina hæc; sed popu-
li, ac gentes descendentes ex indivi-
duis personis, quæ olim habuerunt
illa nomina, sicut sunt populi, ac na-
tiones, ac homines multi, quos eidem
Gog

Gog adjungit ibidem scriptura nimirum *Perse, Ætyopes, & Libies*. Hos nominat Ezechiel sub propriis nominibus, illos vero sub nomine communi primorum parentum; vel quia cum ipsi fuerit liberum alterutro modo loqui, maluit propter rationes ibi notas nominare alios sic, alios verò sic; vel quia cum antiquior scriptura, nempe Genesis, nominet Patriarchas proprios illarum gentium borealium, & non immediatos fundatores Persarum, Ætyopum, aut Libium, voluit ipse quoque nominare Patriarchas illos, & non hos: Unde gentes illas septentrionales posuit sub nomine suorum Patriarcharum, & gentes alteras sub earum proprio, & magis noto nomine. Probo igitur conclusionem. In primis frequentissimum, ac vulgare in scriptura est, uti nomine individua ac singularis personæ ad significandum non sanè illam, sed illius nepotes, familiam, atque progeniem, v. g. nomen *Israel* erat proprium illius individua personæ, quæ fuit Patriarcha populi Israelitici; eo tamen frequenter utitur scriptura ad significandum totum illum populum. *Et nunc Israel* (id est nepotes Israelis) *audi præcepta, & judicia quæ ego doceo te*. Item, *quam pulchra tabernacula tua Jacob, tentoria tua Israel*. Similiter *Ruben* erat nomen proprium unius ex illis duodecim Patriarchis; eo tamen utitur Moyses ad significandum totam illius sobolem. *Vivat Ruben* hoc est familia Rubenitarum, & *non moriatur, & sit parvus in numero*. Similiter *Judas* erat nomen proprium alius è duodecim Patriarchis, & illud adscribit scriptura toti familiae illius. *Hæc est Judæ benedictio* (id est judæorum) *audi domine vocem Judæ*. Et rursus. *Ait Judas Simeoni fratri suo. Ascende mecum in sortem meam &c.* hoc est dixit familia Judæ familiae Simeonis. Similiter *David* erat nomen proprium individua personæ; rebellantes autem decem tribus à Roboan Davidis nepote dixerunt. *Vide domum tuam David*, id est, consule tibi familia Davidis, demum Prophetæ alloquentes hæbream gentem sibi Coera-

neam, & præsentem passim alloquuntur illam sub nomine *Jacob*, aut *Israel*, aut *David*. Vulgare itaque est in scriptura uti nomine individua acque singularis personæ ad significandum non utique illam, sed illius sobolem, familiam, & populum.

LXV. Tunc sic. Sed ista eadem nomina *Gomor, Magog, Thubal, Mo-* Gen. 10.
soc, & Thogorma, quibus Ezechiel significat socios Gogi, dat caput 10. Genesis quatuor filiis Japheti & uni ex nepotibus ejusdem; Ergo conjecturare possumus nomina ista apud Ezechielem non significare individuas ullas, & singulares personas, quarum nomina propria sint ista; sed gentes integras, & populos oriundos ex illis filiis, atque nepote Japheti, ita ut *Gomer* valeat *Gomeritæ, Magog* *Magog* Lib. 1. antiq. c. 12.
ta &c. Juxta Josephum sunt populi septentrionales accola maris euxini, ac Cæspii, quos nunc vocamus Tartaros, Cosacos, Moscovitas &c. Dicit enim Ezechiel illi *Gog venis de terra tua à lateribus aquilonis tuæ, & populi &c.* Ergo non est Hispania, quæ non est in aquilone Nec obitat primo, quod post nominatos illos descendentes ex Japheto adjungat Moyses *ab his divide sunt insula gentium*, quasi insulae, non autem gentes illæ boreales descendant ex Gomer, Magog &c. Quoniam hæc Insularum divisio non est cur referatur ad illos prius nominatos Gomer, Magog &c. Rationabilius namque refertur ad eos, qui immediate antè istam periodum nominantur scilicet ad Elifá, Tharsis, Cethim, & Dodanim filios Javan. Nec obstat 2. quod in textu græcole-gatur articulus 10, qui individua personam significare solet; etenim gentes aliæ, quibus familiare est ad-jungere articulum ad significandum individua personam, multoties utuntur illo ad significandum indefinite populum integrum, & nationem, v. g. Hispanicâ linguâ, quæ articulis his constat, dicitur loquendo, non de uno individuo, sed de tota natione indefinite: *El Espanol gusta de esto, El espanol ne gusta de aquello*, hoc est, gens

gens Hispania ut plurimum delectatur hōc, gens Hispania ut plurimum non delectatur illo. Et similiter in aliis articulatis linguis. Ergo ille articulus græcus adjunctus nominibus illis non constringit ad intelligendum individuas, & singulares personas habentes illa nomina. Ezechiel itaque loquens de ultimo conatu Diaboli contra Ecclesiam (ait enim ad Gog, *novissimo annorum venies*, & rursus. *In novissimis diebus erit*) nec non Joannes loquens de materia eadem nempe de rebus futuris post illos mille annos,

Ezech. 38.
v. 8. & 16.

Ibid. v. 4.

Apoc. 20.

de quibus supra egi, *cum consumati fuerint mille anni solvetur satana &c.* Et prædicentes ambo numerosissimum exercitum invasurum sanctos, *seducet gentes, que sunt super quatuor angulos terra Gog, & Magog, & congregabit eos in prælium, quorum numerus est sicut arena maris*, ut dicit Joannes, sive ut dicit Ezechiel: *Educam te, & omnem exercitum tuum equos, & equites vestitos lorice universos multitudinem magnam*: Ambo inquam docere videntur, quod sub illo Gog *in novissimo annorum*, & in novissimis diebus hoc est post Antichristum (quia hic per tres annos cum dimidio adeptus est universalem Monarchiam ut toties insinuat scriptura) conscribendus est numerosissimus exercitus ex populis septentrionalibus, hoc est ex descendentibus ab illis filiis, & nepote Japheti, ad devastandum sanctos, id est parvam illius temporis Ecclesiam superstitem persecutioni Antichristi, & compositam ex senatu Ecclesiastico, atque ex fidelibus (dispersis utique ac fugitivis paulo ante, nimirum sæviente Antichristo) sed postea convolantibus undique ad suum caput visibile; Dicit enim Ezechiel de illa sancta turba.

Ezech. 38.
v. 8. & 12.

Congregata est de populis multis ad montes Israel qui fuerunt deserti jugiter, & iterum, super populum, qui est congregatus ex gentibus. Nominantur autem præcipue gentes illæ septentrionales vicinæ mari caspio, & Euxino descendentes ex Japheto, vel quia primæ erunt in ea universali rebellionem contra Ecclesiam, & post se corripient cæteros populos, vel quia plu-

res, & potentiores erunt; Homines sub Gog, qui juxta Ezechielem erit eis in *præceptum*, id est fumus Imperator, existimantes cæterum illum Ecclesiasticum asportasse secum magnos thesauros, quando Antichristum fugiebat, convolabunt ad prædam (hoc enim crimen illis objicit Propheta ibidem, ut jam notavi tantquam famelici canes & lupi vespertini; sed contingeret illis, quod scriptum legibus apud utrumque Prophetam.

LXVI. Neque novum erit, quod ex septentrione irruant densissima examina gentium ferocium. Tamen si enim orientales gentes interdum subegerint occidentales, ut persæ olim subegerunt cunctos populos usque ad Græciam, ut Arabes etiam subegerunt Ægyptum, & maximam partem Africæ septentrionalis, & non modicam Europæ, & demum ut Hispani subegerunt totam Americam cum appendicibus sibi occidentalem. Item licet populi occidentales quandoque debellaverint Orientales, ut Macedones debellarunt totum orientem usque ad Indiam, & Romani debellarunt cunctas provincias usque ad Euphratem: At ferè semper ex septentrione ruerunt turbines, procellæ, tonitrua, & fulmina bellorum; sic olim dictum fuit Jeremiæ, *Ab aquilone ponetur malum super omnes habitatores terre.* Quia ecce ego convocabo omnes cognationes regnorum aquilonis (en Gomer, & Magog, & Mosoc, & Thogorma) ait Dominus; Et venient, & ponet unusquisque solium suum in introitu portarum Jerusalem; nempe quia Nabuchodonosor, qui postea urbem illam combussit, & regnum Juda disjecit, & palestina cum vicinis regionibus subjugavit, ut earum omnium legatis prædixerat idem Propheta iussus à DEO: *Ego dedi omnes terras istas in manu Nabuchodonosor regis Babylonis servus mei*; Hic inquam rex aquilonaris erat respectu earum regionum; Eandem fortunam experti sunt postea homines à septentrionalibus quoniam Gogti ex septentrione descenderunt postea in

Ezech.
v. 6.
Id. 39.

Idem

in Hispaniam: Hunni in Pannoniam, Franci in Galliam, Saxones in Britanniam, Normanni in Armericam, Longobardi in subriam, Turcæ in Asiam, Africam, & Europam, Tartari semel, & iterum in Siriam. Et Tartari alii vibengi dicti sub vexillo magni Tamerlani, cujus soboles hodie regnat in magor, occuparunt Persiam, & magor, id est Indiam sibi meridionalem. Venerunt itaque plerumque audaces numerosi, & feroces exercitus ex septentrione æquæ hominum divite, ac pecuniarum vacuo. Novum igitur non erit, quod in illo ultimo conflictu, quando totis castris pugnaturus est Diabolus contra ultimam portionem Ecclesiæ, formet tanquam carnes exercitum suum ex gentibus sparsis per totum orbem, v. g. Persis, Æthyopibus, Lybiis, ut dicit Ezechiel, seu populis super quatuor Angulos terræ, ut scribit Joannes; firmet autem, & corroboret illum exercitum, tanquam nervis, & ossibus, gentibus illis descendentibus per Gomer, Magog, Thubal, Mofoch, & Thogorma ex Japheto quas ter vocat septentrionales Ezechiel. *Domus Thogorma latera aquilonis.* Item, *veniet de loco suo à lateribus aquilonis*, ubi satis innuit domicilium proprium Gogi, de quo loquitur futurum in regione Boreali. Et rursus. *Ascendere te faciam de lateribus aquilonis.* Quæ si ita sint, mirum non est, quod Propheta specialiter nomet dictos populos ut primum habituros locum in eo bello ex aviditate divitiarum suscipiendo, ut diripias spolia, *Sinvadas prædam &c.*

LXVII. Dico 2. Gog de quo loquitur Ezechiel, videtur, non posse esse solus Antiochus, infensissimus ille Judæorum hostis, cum neque ex sacra, neque ex sæculari litteratura constet, evenisse tempore Antiochi, aut post ejus mortem stupenda illa, quæ prædicat Ezechiel, & mox proferam ego; Et multo minus potest esse ille, de quo loquitur Joannes, cum hic scribat res futuras, & Antiochus jam fuerit præteritus tempore Joannis; nec potest

esse Antichristus, ut semel & iterum probavi n. 11. & n. 31. & promisi aliam rationem hic dandam, videlicet cum Joannes absolvat caput 19. Apocalypsis miserabili morte Antichristi, & sui Pseudopropheta, *Viri missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis sulphure; nec non strage suorum cateri occisi sunt in gladio sedentis super equum, qui procedit de ore ipsius, qui gladius videtur esse spiritus ille oris Christi, quo juxta Paulum interficiet Dominus Antichristum, quo etiam gladio, sive spiritu oris sui prostravit quondam cohortem integram ad ipsum capiendum missam, ut ergo dixit eis ego sum, abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram, quippe etiam in hoc sensu viris est enim sermo DEI, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens usque ad divisionem anime &c.* Cum sic inquam claudat caput illud, adjungit caput 20. in quo post narratam incarcerationem, & solutionem Diaboli, scribit hunc seducturum Gog, & Magog, & ingentem exercitum collecturum contra castra sanctorum & civitatem dilectam, & quod descendit ignis à DEO de cælo, & devoravit eos; Ergo nisi dicamus, Antichristum surrecturum ex inferno, in quem jam præcipitatus erat, & iterum moriturum igne de cælo vibrato (ad quæ dicenda non apparet ulla congruentia) oportet dicere Gog futurum distinctum ab Antichristo. Lege, quæ hac super re dixi numero 11, & iterum num. 31.

LXVIII. Igitur, quemadmodum Antichristus nascetur, ut jam dixi, aut regnare incipiet; in medio (non utique Mathematico, sed morali) earum regionum, quibus constabat antiquum Romanum Imperium: Siquidem Daniel vidit illum sub figura cornu parvuli orti de medio eorum, hoc est de medio eorum decem cornuum, quæ habebat bestia præfigurans Imperium Romanum, & quæ cornua decem ipsius regni decem reges erunt, unde videtur elici, quod de medio illorum decem regum & quasi regum, qui possidebunt antiquum Imperium Romanum

Ezech. 38.
v. 6, & 15.
Id. 39. v. 2.

Idem. 38. 12.

2. Thessal. 2.

Joan. 15.

ad Heb. 4.

Dan. 7.

Ibid. v. 24.

manum exurget Antichristus, & regnabit post eos, quia à tribus vi manifesta, ab aliis vi, autoritate, regna, & ditiones detrahet, *tres reges humiliabit: Quemadmodum inquam huius conditionis, & nativitatis erit Antichristus, ita Gog videtur futurus, ut sapè dixi, princeps quidam septentrionalis, quales fuerunt Attila, Totila, Othomanus, Tamerlanus &c. Qui immenso exercitu (præcipuè composito ex gentibus septentrionalibus, quas num. 74. memini, nec non ex accurrentibus aliis nationibus, quas meminit Ezechiel) stipatus, sicut illi quoque stipati venèrunt; nec non sciens strages & turbulencias, quibus paulò ante facta erant provinciæ sibi meridionales tempore Antichristi, & forsàn non ignorans hunc jam de medio sublatum, credens item senatum & aulam totam Ecclesiasticam illius temporis asportasse secum magnos thesauros, quando fugit ab Antichristo & à decem illis principibus, qui diruent, & comburent Romam juxta Joannem, suspicans non paucas advexisse divitias eos fideles, qui vitandi ergo errores potentissimo insinuat per tunc futuros Pseudopphetas, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest etiam electi continuo convolabunt ad locum ubi tunc erit caput, & corpus Religionis Catholicæ, quia ubicumquè fuerit corpus, illic congregabuntur, & aquile, & quia ut eidem Gog objicit Ezechiel. *Venies ad terram, que reversa est à gladio (en persecutionem Antichristi) & congregata est de populis multis ad montes Israel (en insinuat aquilas congregatas ubicumque fuerit corpus sanæ doctrinæ) hæc de populis educta est, & habitabunt in ea confidenter universi: Sciens demum totam illam gentem esse imbellem, & militiæ ignaram, quia ut illi dicit idem Propheta, dices. Ascendam ad terram absque muro. Veniam ad quiescentes, habitantesque secure: Hi omnes habitant sine muro: Vectes, & porta non sunt eis plenus avaritiæ, & sollicitatus vocibus Sabâ, & Dedan & negotiatorum Tharsis, & omnium Lænonum ejus, ut ibidem dicit Eze-**

chiel, septusque innumerabilibus eis populis, ut ibidem dicitur, nec non Apocalypsis 20. His inquam furiis agitatus irruet contra illum sanctorum cœtum, contra illa castra, contra illam civitatem dilectam, *quasi compesas* juxta Ezechielem, & cur? *ut diripias spolia, & invadas prædam & iterum, ut tollas argentum, & aurum, & auferas suppellectilem, atque substantiam, & diripias manubias infinitas, quæ sunt verba juxta eundem Prophetam, quibus Gogo adulabuntur illi sui Lænonnes, Hoc, & non aliud crimen, avaritiam scilicet, & crudelitatem hujus administrationis, objicit illi Ezechiel toto hoc capite, & sequente; Unde non videtur, quod ille moturus sit bellum ratione religionis directe, ac formaliter, sed ratione auri, & argenti; nec refert quod à Joanne dicatur seductus à Diabolo de quo *seducet gentes, que sunt supra quatuor Angulos terre Gog, Magog, & congregabit eos in prælium; quoniam sunt multi modi seducendi; Ergo ex eo, quod Joannes dicat de Diabolo seducet, non illico sequitur, quod seducet determinatè, ac directè in materia savendi contra religionem. Seductio hæc, de qua Joannes, stabit physice, ac realiter in eo, quod prædixerat Ezechiel loquens, ubi nuper de hoc Gog, cogitabis cogitationem pessimam, & dices: Ascendam ad terram absque muro &c. Civitas ergo dilecta, & castra sanctorum, in qua venturum Gog cum suis (ubi etiam habitabitur quiete sine muro, sine porta) prædicunt Ezechiel, & Joannes, erunt cœtus ille, & congregatio fidelium, qui secuti fuerint illum Papam; & hujus senatum,**

§. SECUNDUS.

LXIX. Igitur ille Gog futurus videtur Tartarus, aut Moscovita, aut ex aliqua illarum gentium septentrionalium. Tum quia gentes illæ numero, & qualitate equorum pollent, quibus & vehuntur, & aluntur juxta illum, qui dixit. *Veni, & epoto sarmate pasus equo.* Et Gog tribuit Ezechiel maximum numerum equo.

equorum populi multi tecum ascensores equorum universi; Tum quia ille, & sui, magnam famem habebunt argenti, & auri, ut dixi; hæc autem fames omnibus hominibus communis, specialissime grassatur in eis populis, in quibus hæc metalla non sunt frequentia, aut ratione fodinarum, quia has non habent, aut ratione mercium, quia mercaturam non curant; Tum maximè, quia in eo, & sequente capite ter dicit Ezechiel Gog, & suorum gentium robori, *Venies de loco tuo à lateribus aquilonis tu, & populi multi tecum.* Et rursus. *Ascendere te faciam de lateribus aquilonis &c.* Tartari autem Europæi, Moscovitæ, Sarmatæ, & accolæ alii maris Euxini non sunt respectu Babylonis, ubi prophetabat Ezechiel in aquilone; sed in lateribus aquilonis, id est magis occidentales, atque, ut ita dicam in latere dextro aquilonis. Præterea illud tunc, quod dicit Christus Dominus, loquens de ultimis illis temporibus, quamvis complectatur etiam tribulationem futuram sub Antichristo, erit enim tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo; At non significat solam illam, sed etiam hanc ciendam per Gog & innumerabilem suum exercitum: Quoniam ibidem additur, *nequè fiet;* post tribulationem autem sub Antichristo fiet hæc alia movenda à Gog, & horribilis valde juxta Ezechielem ajentem,

Matib. 24. *In die illa erit commotio magna super terram Israel; Et commovebuntur à facie mea pisces maris, & volucres cæli, & bestia agri, & omne reptile, quod movetur super humum cunctique homines, qui sunt super faciem terra, & subvertentur montes, & cadent sapes, & omnis murus corruet in terram: quando contingant, quæ his vobis significari voluit DEUS, viderunt tibi futura modica tribulatio? Hæc contingent in die illa, id est, quando veniat Gog qui ut ante dixi, veniet post Antichristum: Ergo post tribulationem per hunc inducendam erit vehementissima alia tribulatio, quamvis brevissima, & instar fulminis, quia propter electos adhuc residuos, & Antichristo superstites breviabuntur*
R.P. Ulloa de Principio & Fine Mundi.

dies illi: Ergo illud tunc Christi Domini non significat solam tribulationem Antichristianam, sed etiam Gogæam; & ratio est, sicut sol magis calefacit nos per se loquendo in Leone, quam in canero, licet ibi jam sit nobis magis obliquus, & distans, quam hic, & magis calefacit hora secunda, ac tertia post meridiem, quam in ipso meridie, licet jam magis distans, & obliquus; nempe quia calor, quem in utroque casu emittit, inveniet terram jam calefactam & Atmospheram quoque. Ita quamquam tribulatio Gogæa entitativè, ac secundum se futura sit minor, quam Antichristiana; quia tamen cadet supra cærum, & senatum Ecclesiæ, supra illosque fideles, qui instar aquilarum volarunt, ut ei sese adjungerent, & hi omnes quasi exangues, & enerves futuri sunt ob proximè antecedentem persecutionem Antichristi, & hoc sublato putabunt se liberos ab omni hostili incurfu; Idcirco videntes hi, se de novo invadi ab hoste novo, tribulatio inducenda per Gog erit tribulatio gigantæa, quia ut dicit Job. *Concidit me vulnere super vulnus, irruit in me quasi Gigas.* Vulnus inflictum supra vulnus est vulnus à gigante inflictum, id est sævum nimis, atrox, & crudele. Aliæ tribulationes, quæ tunc erunt post Gogæam propter cælorum, & elementorum perturbationes, non videntur comprehendi sub illo tunc, quia ipse Dominus videret illas discernere ab hac inquam. *Statim autem post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur &c.*

LXX. In truculentas illas, & numerosissimas gentes boreales, nec non in socias, quibus constabit exercitus Gog, conglobabit DEUS clades, quibus jam olim assuetus est inimicos suos ulcisci. immittit illis spiritum discordiæ gladius uniuscujusque in fratrem suum dirigitur: sic quondam ingruente in Philistæos Jonata cum armigero suo. *Versus fuerat gladius uniuscujusque ad proximum suum.* Sic etiam tempore Gedeonis punivit madianitas: *Immisitque Dominus gladium in*
B b omni-

omnibus castris, & mutua se cade trunca-
bant. Non meliore carnifice cadunt
inimici DEI, quam inimico alio DEI. 2.
Contaminabit illos peste. Et iudicabo
eum peste, & sanguine: sic tempore Da-
vidis propter hujus vanam animi ela-
tionem: *Immisit Dominus pestilentiam*
2. Reg. 24. *in Israel de mane usque ad tempus consti-*
tutum, & mortui sunt ex populo à Dan
usque ad Bersabee septuaginta millia vi-
vorum. 3. Conrundet DEUS illum
exercitum. *Imbre vehementi, & lapi-*
dibus immensis, ut ibidem minatur.
Jofue 10. Sic tempore Jofue prostavit quinque
regum exercitum. *Dominus misit su-*
per eos lapides magnos de caelo usque ad
Azeca, & mortui sunt multo plures lapi-
dibus grandinis, quam quos gladio per-
cusserant filii Israel. 4. absumet etiam
DEUS igne, ac sulphure copias illas
Gogæas. *Ignem, & sulphur pluam, &*
super exercitum ejus, & super populos
multos, qui sunt cum eo. Et hoc sup-
plicium Joannes quoque memorat
Apo. 20. *Descendit ignis*
à DEO de caelo, & devoravit eos, nem-
pè quos aliæ pænæ non occiderant.
Hac olim vindicta documentum ho-
nestatis dedit in illis quatuor civita-
tibus. *Dominus pluit super Sodomam,*
Gen. 19. *& Gomorram sulphur, & ignem Domi-*
no de caelo. Hæ quatuor suppliciorum
species manent gentes illas boreales
secuturas Gogum, & irrupturas in
regionem, ad quam tanquam ad asy-
lum confugient reliquiæ Christiani-
tatis superstitites Antichrii. Con-
globabit autem DEUS super infelicia
ea capita hæc supplicia simul, quorum
singula extirparunt; quondam popu-
los integros, quia in ea colluvie ho-
minum ope diabolica, ut dicit Joan-
nes, confluentium undique & sequen-
tium Gog, regnabunt vitia, propter
quæ his suppliciis affectis DEUS olim
populos antiquos, vel potius ut mor-
tales residui usque ad tunc jam immi-
nentem diem indicii, discant timere, &
glorificare DEUM. Post recensita enim
hæc quatuor genera pænarum, subjun-
git DEUS. *Et magnificabor, & sanctifica-*
Ezech. 38. *bor, & notus ero in oculis multarum gen-*
tium, & scient quia Gog Dominus.
LXXI. Deleto sacrilego illo exerci-
tu, quatuor memorabilia contingent

juxta Ezechielem. Primum sicut inten-
gentes politicas esse solet notus, & no-
minatus locus, in quo facinorosorum
cadavera exponuntur ad terrorem, at-
que exemplum aliorum; ita Gog ipse
sepelietur ab hominibus in loco publi-
co (cujus signa dat ibi) noto, & nomi-
nato, malo, utiq; nomine. *Dabo Gog*
Ezech. 40. *locum nominatum sepulchrum in Israel.*
Vallem viatorum ad orientem maris, que
obstupescere faciet pratercuntes &c. secu-
dum: Quod sepelient eos, nempe occisos
inclitos Gogi, domus Israel, ut mudent
terram septem mensibus Emphaticè
modus dicendi multitudinem cadaverum.
Tertium, quod post menses autem septem
querere incipient. Cum autem tempus
hoc sufficiens jam sit, ut cadavera illa
innumerabilia, & heterogenea tum
hominum, tum equorum tabe disso-
luta, & putrefacta inciant aërem,
videtur etiam emphatica locutio ad
significandum occupationem vivo-
rum in spoliis legendis exercitus illius
destruisti, quæ tot erunt, ut occupari
vivi in eis colligendis, non nisi post
septem menses meminerint sepelire il-
la cadavera, ut *mudent terram, ne aë-*
rem corrumpat ille fætor. *Quonia,*
quod Israelitæ succendēt *igni septem me-*
nis arma, & bellicum apparatus illius
exercitus, ita ut toto illo tempore non
egeant aliis lignis ad usus domesticos.
Hoc etiam, sicut illud de septem men-
sibus, videtur, non intelligendum ad
litteram, sed per exagesim, ad signifi-
candum multitudinem annorum reli-
ctorum, & magnitudinem bellici appa-
ratus, quæ habebat ille exercitus. Tum
quia hic idem Propheta dicit ad Gog
nomine DEI. *In novissimo annorum tu-*
nies, & rursus ibidem. In novissimo du-
bis eris; non est autem novissimus an-
norum ille, post quem restant septem
saltem alii anni; neq; sunt dies novissi-
mi illi post quos super sunt adhuc 2553
dies. Tum quia hyperbolicus modus
loquendi, qui significat, non quod so-
nant verba, sed solum aliquid speciali-
ter magnum in subjecta materia, est fa-
tis frequens in scriptura, ut multis
exemplis ostendi Decade 1. num. 77. &
seqq. v. gr. *Dominus regnabit in azer-*
num, & ultra, qua phrasi utuntur
Moyfes, & Micheas, & quæ ran-
tum

Deut. 9.

tum significat, interminabile regnum DEI, cum repugnet esse ultra aeternitatem. Item. *Ut possideas civitates ingentes, & ad caelum usque muratas*, hoc est altissimis munitas manibus, quia muri non assurgebant certe ad perigæum Lunæ. Item: *Sunt autem, & alia multa, quæ fecit JESUS, quæ si scribantur per singula, nec ipsum, arbitrator, mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros, id est opus esset multis voluminibus. Vide alia ibi.*

Joan. 21.

LXXII. Non est ergo multum, quod Ezechiel significandi causa cum spiritu, & energia, tria, quæ dixi, ter utatur hyperbole illa *septem*, & dicat *septem annos, septem menses, post septem menses*, maximè cum septenarius numerus familiaris sit ad explicandum multitudinem, ut ex scriptura probavi Decade 4. numero 106. & seqq. Tum etiam quia ut notavi, & utriusque litteraturæ exemplis firmavi Decade 3. numero 30. frequens est usus actus secundi pro actu primo, hoc est uti verbis sonantibus *rem esse*, non tamen id significantibus, sed dignitatem, & meritum, ut sit, v. g.

Æneid. 4.

Duris genuit te cautibus borrens, Caucasus: byrcanæque admorunt ubera tygres, ubi audis genuit, & admorunt, quæ verba non significant remita fuisse; sed æneam ad eò inurbanum, & in civilem esse, ut dignus esset utriusque illius qualitatis; & hic idem Ezechiel corripuens Hierosolimam, inquit. *Iustificasti sorores tuas*, nempe Sodomam, & Samariam in omnibus abominationibus tuis, hoc est fecisti, ut justæ & sanctæ possint esse comparatione tui, & Christus Dominus *virii Nini vita surgent in judicio cum generatione ista &c.* Quia exemplo suo facient, sicut etiam regina austri, quod vos digni sitis condemnatione; non enim sedebunt inter Apostolos ad judicandum, & condemnandum infideles. Et Elifæus sciens regem Syriæ moriturum, *Ostendit mihi Dominus, quia morte morietur*, iussit dici ei per Hazaelem *sanaberis*, nempe attentata qualitate istius morbi, qui lethalis non est, sanaberis; licet aliunde propter perfidiam illius ejusdem Hazae-

R.P. *libra de Principio & Fine Mundi.*

lis moriturus esset die sequente. Et sciens DEUS Ezechiam non moriturum tunc, sed post quindecim annos, præcepit Isaia, ut illi diceret. *Dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non vives*; nempe attentata qualitate istius morbi, qui ex se lethalis est, & attentata ignorantia, quam habetis medicinæ specificæ contra illum. Idem in præsentia. Dicit Ezechiel, fideles illos, qui tanquam aquilæ undique convolarunt, ut congregarentur in ea regione, ubi erat corpus Ecclesiæ, id est Ecclesiasticus fenatus, expensuros illos septem menses, & illos septem annos; non quia expendent in actu secundo tempus hoc; sed quia ea erit multitudo occisorum, ut eâ attentata septem mensibus opus esset ad eos sepeliendos, & tanta erit copia armorum ut eâ attentata, septem, id est multi anni possent expendi in eis comburendis ad usus domesticos illius numeri fidelium. Nec mirum est, quod in locutione Prophetica utatur Ezechiel arcanis, & reconditis phrasibus.

LXXIII. Aliâ plagâ concutientur homines brevi tempore illo Gog, aut paulo ante juxta Ezechielem. *Immitte Ezech. 39. tam ignem in Magog*, nempe in regionem, quam incolunt nepotes hujus, juxta ea, quæ dixi num. 65. *Et in his, Apoc. 8. qui habitant in insulis confidenter*: Et consonare videtur Joannes dicens, quod cadente igne de cælo. *Omnis mons & insula de locis suis motæ sunt, & quod omnium conditionum homines absconderunt se in speluncis & in petris montium.* Supposita autem hac commotione montium & insularum propter crebros ignes de cælo cadentes, & propter forsitan non minus crebros ex terræ visceribus erumpentes, naturaliter eveniet illa confusio *sonitus maris, & fluctuum*, quam dicit Lucas: quia ex probatis historiis novimus, quantum sævire, & sonare soleat mare, quando ignis concutit insulas, & vicinos montes propter occulta commercia, quæ mare habet cum utrorumque visceribus, & explicui in Philosoph. natur. Disp. 3. num. 21.

Bb 2

&

& seqq. naturaliter item continget, quod ibidem adjungit Lucas. *Arescentibus hominibus pre timore, & expectatione, que supervenient universo orbi, & quod nuper dicebam ex Joanne: Absconderunt se in speluncis &c.* Tametsi enim fragor marinorum fluctuum non sit audiendus à cunctis prorsus hominibus tunc viventibus verb. gr. ab eis, qui habitabunt triginta, aut quadraginta leucis à mari (quamvis hi visuri sint signa in sole, Luna, & toto cælo, quia signa hæc erunt in objecto cunctis hominibus patente) audiendus est à vicinis populis, & maximè ab illo grege fidelium, qui palestina fortè adibunt, ut se agglomerent Ecclesiastico senatui, pro quibus immediate, ac directè scripsisse hæc videntur authores Canonici, ut per eos cæteri fideles moneantur; Illi fideles pleni adhuc timore, quia vix elapsi fuerant ex unguibus Antichristi, & sui vicarii, qui prohibuerat *ne quis possit emere, aut vendere, nisi, qui habet characterem aut nomen bestia &c.* Videntes ex una parte ingruere in suum cætum immanem illum exercitum Gogi, & ex altera audientes horrendos fremitus maris, ignesq; subvertentes insulas, & montes, arescent utique præ timore, & *1. Mach. 12.* abscondent se plerique *in speluncis, & in petris montium,* quoniam licet illorum multi habeant solatio sanctos libros, quorum oraculis de illis eisdem tunc presentibus rebus, munient se contra illam perturbationem rerum; At cum unicuique dividat *2. ad Thessal. 3.* DEUS *mensuram fidei, & cum scriptum sit non enim omnium est fides,* plurimi concutientur timore, quem innuunt illa verba. *Arescentibus; Absconderunt se.*

Matth. 24.

LXXIV. Transactâ demum hac tempestate, eventurum videtur, quod Dominus prædixit, quoque frequenter experimur nos ipsi post magnum aliquod periculum superatum. *Sicut enim erant in diebus ante diluvium, inquit Christus, comedentes, & bibentes, nuptii tradentes usque ad eam diem, quo intravit Noë in Arcam,*

& non cognoverunt, donec venit diluvium, & tulit omnes; Ita erit, & adventus filii hominis. Hoc enim aliquando eveniet, sed non ante Antichristum, aut Gog, quippe adhuc tardabit adventus Domini: non item illis savientibus, quia tunc non erunt homines vacandorebus illis: Ergo post utrumque: frequenter evenit, quod Nautæ, & alii comites navigationis postquam evaserunt ex magna aliqua tempestate, redeunte impetuose ad præcordia sanguine, quem præcedens pavor fugaverat, vel discedente illo, quem supra congesserat, dapiibus, vino, joco, choreis, & cantilenis alacres vacant. Sic plurimi ex hominibus illis ultimis, & fortitan ex eis quoque, qui senatui Ecclesiastico adhæserunt, videntes dissipatam procellam illam gentium septentrionalium cum suo Gog, inscii, vel immemores instare diem judicii, largius indulgebunt negotiis secularibus, corporisque voluptatibus. Id etiam infinuasse videtur Ezechiel, signanter addens. *Post menses autem septem, quærere incipient cadavera mirum innumerorum occisorum sequacium Gogi, innuens, quod sicut incolæ illius terræ, in qua innumeralis exercitus est trucidatus, valde absorpti sunt in aliis rebus, si non nisi post septem menses meminerint quærere cadavera illa ne corrumpant aërem; Ita homines post ablatum Gog, & trucidatum hujus exercitum, valde abstracti, & illecti erunt quasi tripudiantes gaudentes, & celebrantes liberationem suam à sævis, & trucidibus illis duabus bestiis, Antichristo, & Gog; Sed parum durabunt tripudia, nempe solos quadraginta quinque dies, ut infra dicam, & eveniet, quod Paulus præmonuit. Sicut fur in nocte, ita veniet. Cum enim dixerit pax, & securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus ad hoc modicum tempus alludere videtur Dominus inquiring, quod post illam relaxationem similem antediluvianæ, tunc dabuntur erunt in agro, unus assumetur, & unus relinquetur, duo molentes in mola &c. Quippe cum inter ultimos eos homines*

nes futuri sint, & prædestinati & reprobi, plerosque forsan ex prædestinatis tollet de medio, nè malitia mutet intellectum eorum, & plerosque ex reprobis relinquet, ut pabulum sint ultimi ignis, quo terraqueus globus conflagraturus est. Atque ob hanc causam videtur concludere totam illam Prophetiam hac doctrinâ; *Ideo, & vos estote parati, quia qua nescitis hora filius hominis venturus est*, & adjungens similitudinem de malo servo dicente. *Moram facit Dominus meus venire*, & percutiente conservos, manducanteque, & bibente cum ebriosis: & urgere hoc idem videtur adjuncto capite immediate sequente parabolâ de virginibus cum illo *tunc*; ne videntes homines illi, quod post occisos Antichristum, & Gog, adhuc non venit Christus, adhuc durat hic mundus, adhuc transeunt octo, decem, viginti, triginta dies, & quod post prædicatum Evangelium in universo orbe in testimonium omnibus gentibus adhuc non venit consummatio, & quod post tribulationem dierum illorum paulo antè præteritorum adhuc non apparet signum filii hominis in caelo: ne inquam incipiant singuli dicere: *Moram facit Dominus meus venire*, & habenas laxent appetitibus, quasi illud *tunc veniet consummatio*, & illud *statim autem post tribulationem dierum illorum*, dicta sint cum præcisione mathematica, & non cum ea latitudine, quam admittit humanus, & vulgaris modus loquendi, sicut dicta sunt à Marco pleraque illa *statim*, *protinus*, quæ decies aut undecies ponit in sua primo capite sui Evangelii: & sicut dicuntur multa alia similia in aliis scripturis: Igitur cum illi quadraginta quinque dies, quos dixi, & suo loco probabo, mediaturos inter Gog de medio sublatum, & adventum Domini. sint tempus brevissimum respectu sæculorum, quibus hic mundus duravit, idcirco consummatio mundi, & visio signi Christi futuræ post illos dies ab interitu Gog, *tunc*, & *statim* futuræ sunt moraliter loquendo; sicuti quia hic globus incomparabiliter ex-

ceditur à globo stellato, punctum censeatur, & dicitur, si comparetur cum illo, quanquam à parte rei non sit unicum punctum, sed magnam habeat extensionem.

§. TERTIUS.

LXXXV. **H**inc primo quemadmodum vetus testamentum nusquam alibi dat tam expressam notitiam passionis, & mortis Christi, quam apud Isaiam, & Danielelem, nec notitiam Antichristi, nisi apud Danielelem; Ita notitiam Gog non alibi dat, nisi per Ezechielem. 2. cum idem Dominus, qui dicit *tunc veniet consummatio*, nec non *statim post tribulationem dierum illorum* adjunxerit ibidem parabolas duas super *moram*, quam faciebat, tum Dominus servi illius, tum sponsus illarum virginum, geminatâ hac commemoratione *mora* videtur exponere illud *tunc*, & illud *statim*, & videtur docere illa, futura esse moralia, & non Mathematica; Alii autem foli 45. dies durationis mundi hujus, qui sex millia saltem annorum duraverat, sunt moraliter *statim*, & *tunc*: Ut quid enim producit parabolam de Domino, & sponso *moram* facientibus; si ipse quem *Dominus*, & *sponsus* significant, venturus erat in instanti immediate subsequente ad illa, quibus adjungit adverbia dicta? Accedit, quod ut probavi Decade r. n. 8. solet scriptura negare id, quod quamvis sit, parum tamen est in genere suo, v. g. Joannes; *nequè manducans, nequè bibens*, cum aliquid simpliciter manducaret, ac biberet ut Marcus testatur. Item *quarta decima die hodie expectantes jejuni permanetis, nil accipientes*, cum aliquid simpliciter accepissent, quoniam absque miraculo non possent vivere quatuordecim diebus absque omni prorsus cibo tot illi nautæ, & focii; *Erasmus verdè*, inquit Lucas, *universæ anima in navi ducenta septuaginta sex*. Et ibidem numero 40. Ostendi quoque, solere scripturam non curare numeros parvos, sive ut ajunt *fractos*, v. g. de Noë scribitur. *Cum quingentorum esset* Gen. 5.

Aug. 25. de Civ. 6. 14. annorum genuit, & certè juxtà calculum Augustini, tunc non habebat, nisi quadringentos & octoginta annos. Et Abraham dixit: *Putasne centenariò nascetur filius?* Cum non haberet tunc, nisi nonaginta novem, & demum Decade 2. numero 9. ostendi, solere scripturam parva parvi pendere, & negare, quod brevi durat tempore, verb. gr. Salomon vocat se *unigenitum coram matre sua*: Etcertum est præcessisse ipsi filium natum ex adulterio, & die septima mortuum. Ergo ulterior illa conservatio hujus mundi per 45. dies solos post tot sæcula quibus duravit, non adversatur illi tunc, aut illi statim.

Prov. 4.

Ezech. 38. 17.

ad Colof. 4.

Dan. 12.

LXXVI. Hinc 3. quamvis ingruente illa procella Gogaa plurimi turbandi sunt, ut paulo antè dicebam; sed non omnes; multi namquè memores Prophetiarum Ezechielis, & Joannis, eisquè muniti, scient fulmen illud innoxie transiturum, eiquè dicent, quod ipsi dicit DEUS per Ezechielem: *Tu ergo ille es, de quo locutus sum in diebus antiquis in manu servorum meorum Prophetarum Israël, qui Prophetaverunt in diebus illorum temporum* (horum Prophetarum libri exstabant fortè tempore Ezechielis: Modo non exstant, & ipse, est primus, qui apud nos loquitur de Gog. Sunt itaque libri hi è numero illorum, qui amissi sunt, quorum aliquos notavi Decade 5. numero 48. ubi præter librum Henoeh quem citat S. Judas, & præter epistolam Pauli, ad Laodicenses, quam ipse citat, alii octo libri sacri amissi sunt, v. g. liber bellorum Domini, liber justorum descriptiones Jeremiæ &c.) & his aliisque verbis firmabunt erudientque imbecilles; At quod allusisse videtur Gabriel quando loquens de ultimis illis temporibus occasione Antiochi, de quo tunc erat sermo, quiquè Antichristi, atquè Gog futurus erat typus, inquit, *Qui autem docti fuerint, fulgebunt, quasi splendor firmamenti; Et qui ad justitiam erudierint multos, quasi stellæ &c.* Hinc 4. quod Joannes immediate post scriptam cladem totius exercitus

Gogæi, dicat. *Et Diabolus, qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis, & sulphuris, ubi bestia, & Pseudopropheta cruciabuntur die, ac nocte*: Non probat, quod homines non amplius peccaturi sint in illis quadraginta quinque diebus, qui supererunt usque ad diem judicii. Tum quia ut homines peccent non est simpliciter necessarium, quod seducantur à Diabolo, cum unusquisque tenteretur à concupiscentia sua abstractus, & ille cuius rum quia Joannes loquitur de magno Diabolo, restabunt multi autem alii Diaboli subalterni sufficientes ad seducendum plurimos ex illis ultimis hominibus. 5. Responsio Christi Domini apud Matthæum, & apud Lucam, eam partim est de destructione Hierosolimæ, atquè templi, partim autem de destructione mundi, ut notaverunt Augustinus, Hieronym. Beda, & Maldonado.

LXXVII. Existimantes enim Apostoli eundem futurum supremum diem, & templi, & mundi, quæsierunt à Christo 2dum Matthæum (Petrus, Jacobus, Joannes, & Andreas nominatim, ut advertit Marcus) *dic nobis quando hæc erunt? & quod signum adventus tui, & consummationis sæculi?* ad quæ simul responderet Dominus in eisdem capitibus trium Evangelistarum; Tum quia simul quærita fuerant. Tum quia res, & calamitates in utroque casu eventuræ valde similes erant. Et destructio Hierosolimæ futura erat typus, ac imago destructionis mundi, & quasi hujus prognosticon, estque solenne in scriptura transire derepente à re veteris testamenti ad rem novi; quando illa est typus hujus, ut bene observat Sanctus Hieronymus, & est etiam antiquum in scriptura enunciare de figura id quod est proprium figurati atquè viceveria, ut exemplis firmo Decade 5. n. 36. & seqq. igitur tres classes rerum prædicat Christus in eis capitibus per eos tres Evangelistas. Prima est earum rerum, quæ communes sunt utriq; destructioni, & templi, & mundi. 2. earum, quæ futuræ erant propriæ destructionis tem-

templi. 3. earum, quæ destructionis mundi propriae erant futurae. Communia utrique castri sunt. Multi enim venient in nomine meo dicentes ego sum Christus: Et multos seducent; Item. Multi Pseudopropbeta surgent, & seducent multos. Item, refrigescet charitas multorum. Item, Ve pregnantibus, & nutrientibus in illis diebus: Et similia, quæ licet paulo ante finem mundi maxime, ac præcipue verificanda sint propter favitiam Antichristi, & propter diabolicas artes vicarii sui, de quo scribit Joannes, fecit terram, & habitantes in ea adorare bestiam primam; nempe Antichristum, qui fingens se esse Christum verum hujus erit maximus adversarius; Ast verificata etiam fuerunt paulo ante excidium Hierosolimitanum, ut constat ex Samalie mentionem faciente in Concilio, de quodam Theoda, & de quodam Juda, & constat etiam ex tribuno Romano mentionem etiam faciente de alio impostore Ægyptiano. Et refriguit charitas, ut insinuat Paulus.

LXXXVIII. Ad destructionem verò urbis, & templi Hierosolimitani aludunt magis proprie illa. Cum videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele Propbeta, ut supra explicui numero septimo & illud cum autem videritis circumdari ab exercitu Hierusalem, & illud ante hac omnia injicient vobis manus suas, & persequentur tradentes in synagogas, & custodias. Sive ut dicit Marcus. Vapulahitis. Item. Antè reges, & præfides stabitis propter me. Id enim contigit Stephano, Petro, Joanni & Paulo, nec non multis illis ad quos scribit Paulus. Magnum certamen sustinistis passionum: Et in altero quidem approbris & tribulationibus spectaculum facti, in altero autem socii taliter conversantium effecti; nam & vincetis compassi estis, & rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis &c. Sic alloquitur hæbreos illos, qui à prima charitate non nil deciderant, atq; ideo exorditur. Rememoramini autem pristinos dies, in quibus illuminati, magnum &c. Deniq; ad illa tempora ultima spectare videtur illud. Prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe, quod maxi-

mè fiet per Henoch, & Eliam, & per Apostolicos viros eorum sequaces; & illud. Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet. Licet enim tribulatio magna fuerit, quando Hierosolima subversa fuit, alia tamen multo major fiet: Videlicet quando Antichristus, & Gog grassabuntur; & illud propter electos breviabuntur dies illi (hoc est decrevit DEUS, ne futuri sint supra tres annos, & dimidium, sicut etiam septuaginta hebdomades abbreviate sunt super populum Dan. 9. tuum &c. ut Gabriel dixit Danieli, id est, statuit DEUS, ne adventus Messia differatur ultra septuaginta hebdomades) & illud statim autem post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur &c. Et illud Lucæ erunt signa in sole, & luna, est stellis, & in terris pressura gentium Luc. 21. præ confusione sonitus maris, & fluctuum, arescentibus hominibus præ timore. Hæc sanè non evenerunt in excidio Hierosolymitano; Et illud tunc tradent vos in tribulationem & occident vos, & eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum. Hæc inquam ad ultima tempora spectare videntur.

LXXXIX. Quia cum maxima pars illorum hominum secuta sit Antichristum, quippe de hujus vicario dicit Joannes, faciet omnes pupillos, & magnos, & divites, & pauperes, & liberos, & servos habere charactem in dextera manu sua; Et cum Antichristus, utpote, cui datū erit os loquens magna, & blasphemias sive ut dictum fuit Danieli. Sermones contra excelsum loquetur, jactaturus sit, quod ipse sit verus Christus, & quod Christus hæctenus adoratus figmentū, & fabula sit, & propterea sedebit ostendens se tanquam sit DEUS, propter quod ipse Dominus Jesus prævenit illos homines inquit. Tunc si quis vobis dixerit. Ecce hic est Christus, aut illic, nolite credere, cum reliquis, quæ ibi adungit, propter quod etiam objurgans Judæos, & ex alto alloquens ipsorum prolem, futuram in ultimis temporibus, inquit: Ego veni in nomine Patris mei, & non accipitis me (hoc ad Judæos tunc præsentem) si alius venerit in nomine suo illum accipietis, hoc ad descendentes ex illis secundum carnem, aut secundū spi-

Matth. 24.

Apoc. 13.

Act. 5. 36.

Ibid. 21.

ad Heb. 6. &

10. & 12.

Luc. 21.

Act. 6. 7.

5. & 12. &

14. & 15. &

16.

ad Heb. 10.

Dan. 9.

Luc. 21.

Apoc. 13.

Dan. 7.

2. Thessal. 2.

Matth. 24.

Joan. 5.

spiritum, & cum Antichristus mortales seducturus sit, inquit se esse illum, cum quo juxta Joannem regnaturi sunt sancti mille annis, & cum tota hæc trægædia duratura sit, non unâ, vel alterâ die, sed tribus continuis annis cum dimidio, quoniam toto illo tempore non destruet eum Dominus JESUS spiritu oris sui, sicut spiritu oris sui cohortem integram quondam posttravit. & sicut

Apoc. 13. Petrus oris sui spiritu interfecit parilud conjugum, cum hæc inquam ita sint, pauci illi, qui veri JESU Christi tenaces fuerint, tribulationem illam, quam dicit Dominus per Matthæum patientur ab illis, quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ agni, qui occisus est ab origine mundi, qui tunc Antichristi partes sequentur. Et notat Marcus, quod perduellionem hanc patrabunt consanguinei ipsi. Tradet autem frater fratrem in mortem & pater filium, & consurgent filii in parentes, & morte afficient eos. Et eritis odio omnibus propter nomen meum nempè quia, ut alibi citat Dominus ex Michea inimici hominis domestici ejus.

LXXX. Ex quibus omnibus inferitur, quod dicebam n. 77. videlicet, quod in eis tribus capitibus eorum trium Evangelistarum dat Christus signa tribulationum cõmuni utriq; excidio, templi scilicet, ac mundi: & tribulationum propriarum in excidio Hierosolymitano: & tribulationum propriarum in excidio mundi, Sed Dices. Post data hæc signa subjungit immediate Christus loquens cum suis discipulis tunc præsentibus, *His autem fieri incipientibus respicite: & levate capita vestra quoniam appropinquat redemptio vestra:* Ergo discipuli illi visuri erant ea signa; at non erant visuri signa immediate præcedentia finem mundi, quippè non erant tunc victuri, siquidem omnes illi multis abhinc sæculis mortui sunt; ergo ea non sunt signa præcessura fini mundi, sed fini templi: nego primam consequentiam, quia cum Christus claudat apud Marcum totam prophetiam verbis illis, *quod autem vobis dico, omnibus dico, vigilate:* Inde est, quod licet Apostoli non victuri essent usq; ad tempus signorum destructionis mundi, sapienter dicuntur à Christo illa signa pro il-

lis fidelibus, qui tunc victuri sunt. Valeret objectio, si Apostolis *solis*, & pro illis *solis*, ea dicerentur: at neq; illis *solis*, neq; pro illis *solis* dicuntur, sed *omnibus*, ergo dicuntur eis, qui paulo antè finem mundi, atq; in ultimis eis perturbatibus vivent, ergo eis qui signa illa cernentes possunt sibi cavere ab ea face impostorum, & attollere caput, atque corroborari odore vicinæ salutis. Nego item minorè sumsumptam, quoniam sanctæ animæ Apostolorum tametsi Deo fruenter in cælo, scient procul dubio, quæ contingere incipient in Ecclesia militante. Ergo scientes incipere jam signa prædicta à suo Magistro, novo gaudio accidentaliter perfundentur quoniam appropinquat redemptio sua, hoc est reunitio cum suis præcis corporibus, fidsq; sociis antiquæ peregrinationis: quam reunionem, cum naturaliter appetant animæ separate, ut potè substantiæ incompletæ, licet absque ullo angore sint separate à corporibus, quamdiu DEUS vult, ob plenam resignationem in divinam voluntatem, hac de causa reunitio hæc potest vocari redemptio illarum ab statu utriq; incompletionis, atq; separationis ab amico antiquo, & fido; alias cum redemptio illarum strictè talis, id est à peccato facta fuerit per mortem Christi, & huic morti non præcesserint illa signa, planum est Christum non loqui de propinquitate strictæ illius Redemptionis.

CAPUT VI.

De muliere amicta sole Ecclesiam præmonstrante.

LXXXI. Explicatis utcumq; aliis symbolis, & hyeroglyphicis, quibus Joannes, & Daniel loquuntur de hostibus invasuris Ecclesiâ in ultimis temporibus, ipsius Ecclesiæ hyeroglyphicum intueri, & expendere oportet. Sicut non dubito, speciem illâ, sive imaginem mulieris sole vestitæ, quæ Joanni obversabatur aliquo ex multis eis modis, quos supra explicui cap. 2. significasse in sensu allegorico Beatissimam Virginem Mariam: Ita est mihi valdè probabilis sententia illorum Theologorum, qui censent hyeroglyphicum illud significasse in sensu

litte-

*Luc. 21.**Marc. 13.*